Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regula XVI. Genus praedicatur despeciebus aqualiter

urn:nbn:de:bsz:31-102400

Visual Library

ne animal in hominem & beſtiam dividitur. Hôc ergò modô Regula fit univerſalis: *Quod continetur ſub genere, ut inferius ſub ſuperiori, continetur ſub aliquâ ejus ſpecie, vel ipſum eſt ſpecies immediatè tali generi ſubjecta.*

IX. Si igitur ponatur, aliquid eſſe ſub genere, quod tamen non ſit ſub aliquâ ejus ſpecie, nec ipſum ſit aliqua ſpecies ipſi immediatè ſubjecta, alterum horum eſſe, neceſſe eſt, nimirùm, vel id non eſſe reverâ ſub tali genere, vel, ſi firmiter probatum fuerit, eſſe ſub tali genere, ſpecies illius generis non eſſe ſufficienter enumeratas, ſed plures eſſe dandas.

REGULA XVI.

Genus prædicatur de ſpeciebus æqualiter.

Porphyrius *Iſagog. Cap. IX.*

§. 2.

I. Quibusdam *æqualiter prædicari* hîc eſt *prædicari absque dependentiâ unius ab alterô.* Statuunt n. ad hoc, ut aliquid univocum ſit, requiri, ut ne unum illorum, de quibus prædicatur, ab altero dependeat in participandô conceptu ejus rei, quæ univoca ſtatuitur. Si enim unum ab ab alterô dependeat, dicunt eſſe analogum, aut commune πρὸς ἓν ἢ ἀφ' ἑνὸς, quemadmodum licet ens de ſubſtantiâ & accidente prædicetur, non ſecundùm nomen ſolùm, ſed etiam juxta rationem nomine entis

ſignificatam, tamen ens non univocum eſſe, ſed commune ἀφ᾽ ἑνὸς, cùm accidens ſit ens per dependentiam à ſubſtantiâ. Hinc jam inferunt, cùm omne genus ſit univocum, debere illud prædicari de pluribus æqualiter, id eſt, absque dependentiâ unius ab alterô: ſicut animal, ut eſt in homine, non dependet à brutô, & ut eſt in brutô, non dependet ab homine: quod vel inde apparet, quod homo eſſe poſſet in rerum naturâ, etſi nullum brutum eſſet, & brutum eſſe poſſet, etſi nullus homo eſſet.

II. Pro hâc ſententiâ videtur militare, quod habet Ariſtoteles *in cap. de modis ſimul*: ea (dicens) quæ ex eôdem genere in diviſione ſibi invicem opponuntur, eſſe naturâ ſimul. Atqui ſpecies immediatè unum genus reſpicientes, ex eôdem genere in diviſione ſibi invicem opponuntur: ut albedo & nigredo, in quas color dividitur. Sunt igitur naturâ ſimul. Quod ſi naturâ ſimul ſunt, non poteſt una ab alterâ dependere in participandô genere.

III. Hanc tamen ſententiam Cajetanus *Cap. I. Antepræd.* improbat; & ex profeſsô contra eam diſputat Petr. Hurt. de Mendozâ *diſp. Log IX. ſ. IV. ſubſ. IV.* exiſtimans, dependentiam illam non tollere univocationem, & poſſe aliquid eſſe genus aliquorum, etſi eorum

rum

rum unum ab alterô in participandô genere dependeat: quemadmodum qualitas ſtatuitur genus potentiæ naturalis & habitus, cùm nihilominus habitus in participandâ naturâ qualitatis, à potentiâ naturali dependeat. Nobis jam de hiſce ſententiis judicium ferre, animus non eſt. Videbimus potiùs, quomodo ipſe Porphyrius Regulam intelligat.

IV. Ille *cap X. §. 3. Ac genus quidem,* inquit, *quæ participant, æqualiter participant, accidens autem non æqualiter, quoniam intenſionem & remiſſionem recipit participatio accidentium, generum non item.* Ex quibus perſpicitur, cum Porphyrius dicit, *genus prædicari æqualiter de ſpeciebus,* ſenſum eſſe, *quod non prædicetur de illis cum diverſitate graduũ, ita ut uni conveniat magis & intensè, alteri minùs & remiſsè.*

V. Dicis: *Homo eſt perfectius animal, quàm hoc. E. eſt magis animal.* Reſpondet Tataretus per negationem conſequentiæ: quia hominem eſſe perfectius animal, quàm bos, non eſt, ipſum magis eſſe animal, ſed eſt, ipſum habere perfectiorem differenriam, per quam animal contrahitur & determinatur ad conſtitutionem hominis, quàm ſit illa, per quàm determinatur ad bovem. Vide Tataretum *ſub fin. Lib. prædic. ibi. 4. ſciendum.*